

editione; quae quamquam eodem anno se lucem vidisse profitetur, aliquanto tamen post in Galliam certe pervenit. scholiis enim, non vero tragoediis usus est in editione sua Turnebus item 1552 impressa. Robortellus e suis et Mich. Sophiani coniecturis nonnulla emendaverat; sed primus qui emendatoris nomine dignus sit Aeschylum edidit Adrianus Turnebus<sup>1)</sup>, typographus Regius, nitetque libellus ad virum belli pacisque artibus praestantem Mich. Hospitalem datus non minus novorum typorum regionum elegantia quam rara editoris virtute, luculentum eius aetatis monumentum, qua Gallia Graecarum litterarum cultu fundamentum iecit principatus, quem mox et armis et artibus erat consecutura. virtus editionis Turnebianae nequaquam sita est in libro Ranconeti quodam, quem editor pro saeculi more ultra modum laudat; vile enim erat triadis exemplum, sive Paris. 2789, quae Elmslei erat opinio, sive aliud; nec multum refert unde compluria Tricliniana sumpserit Turnebus, quae auctori suo restituere meum erat. enimvero ingenium et doctrina editoris tantum praestitit, ut superare eum me quidem iudice potuerit nemo. clamant hoc Choephoron maxime et Supplicum adnotationes, plene autem non percipiet nisi qui Turnebianam aut cum Aldina aut cum Mediceo contulerit. callebat quippe recte legendi artem; quam hodie in lapidibus chartisque Aegyptiis commode discere licet, ille vero unde accepit nisi a divina proprii ingenii indole? Gallia autem cum eadem aetate ingenia tam felicia progigneret multa, alii deinde de Aeschylo inter legendum emendando bene meriti sunt, e quibus Ioh. Auratum Hermannus plurimi faciebat paucarum emendationum splendore nimium delectatus.

Turnebus et Robortellus Agamemnonis lacunas nondum expleverant. explevit Petrus Victorius editis septem tragoediis apud Stephanum 1557, cui praesto erat etiam codex Laurentianus 31, 8 Agamemnonem integram continens. usus autem est et Mediceo ipso diligentius, et Tricliniana novit e codice autographo illius, a gente cuius bibliothecam tunc ornabat Farnesiano appellato. alia ex aliis triadis codicibus Florentinis sumpsit, scholia maxime, quorum vulgata Victoriana est. textum autem vulgatum Victoriano innisus a. 1580 constituit W. Canter, in distribuendis canticis maxime occupatus. ex ingenio neuter eximiorum horum virorum multa novavit.

Proximo saeculo (1663) Th. Stanleius Britannus ampla editione

<sup>1)</sup> Turnebianae et Canterianae exemplis utor, quae Paulus de Winterfeld, vir et ingeniosissimus et infelicissimus, mihi legavit.